



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti**

**Stengel, Carl**

**[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV**

VIII. Ivnii. S. Disibodvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38356**


**S**DISIBODVS Hibernus, liberalibus disciplinis institutus, ætatis anno trigésimo presbyter ordinatus, inuitus ac renitens Episcopus creatur. Sed cum immorigeros & vitiis deditos assiduè arguendo, obsecrando, increpando nihil proficeret, iniuriis insuper affectus, atq; è sede sua pulsus, quam decem annis strenuè gubernarat, dereliquit: Hiberniaq; egressus, peruenit in Germaniam. Incitatus verò famâ S. Benedicti, qui non ita pridem è vitâ excesserat, atq; discipulorum eius, misâ legatione, quàm plurimos eiusdem instituti & conuersationis viros religiosos ad se adduxit, quibus etiam oratorium & congrua domicilia construenda curauit. Ea verò fratrum congregatio, tam pietate erga Deum, quàm habitatorum numero crescebat, cunctaq; agenda & habenda, imperio S. DISIBODI subiacebant, communisq; ab illis vita secundum B. Benedicti institutionem exercebatur. Atq; hac ratione, effectum est, vt per multas prouincias insignium virtutum eorum fama sparsa sit, compluresq; ad eos venerint, consilia & auxilia animarum saluti opportuna ab eis expetentes: prædiaque & facultates suas DEO & B. DISIBODO hilari mente offerentes.

Cæterum cum iam triginta annis ibidem DEO seruiisset, ac fratribus suis verbis & exemplis egregiè præfuisse, anno ætatis suæ LXXXI. diem obiit extremum.

Ad eius sepulchrum complura diuinitus edita sunt miracula. *Ex vita ap. SUR.*

S. DISI-





S. DISIBODVS EPISCOPVS  
 Hic BENEDICTINOS PRIMUS DISIBODVS in oras  
 Theulonia adduxit Claustraq; struxit eis.

*Handwritten notes on the right edge of the page:*  
 ...  
 Bened  
 ...  
 III  
 ...

1172

L 2

XVIII. FEBR